



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. II. Quæ potestas Legitimandi Principi Ecclesiastico conveniat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

illis impendere gratiam. Nec in isto casu requiritur, quod legitimatus rescripto sit *imago matrimonij*, quia rescriptum non legitimat eos fingendo, aut in radice dispensando, quasi nati essent de legitimo matrimonio; sed ex sola Principis clementia, & beneficio jura legitimorum conferendo. Caterum non abnuo, hanc legitimationem posse dici *dispensationem generaliter*, quatenus importat concessionem contra jus commune; non tamen *specialiter*, prout restringitur ad restitutionem natalium solum in aliquibus, ut notavi sup. quia non potest quis esse pro parte legitimus, & pro parte non legitimus, ut notat Barbof. in *c. Per venerabilem*. 13. h. t. n. 18. Et sic accipi dicitur in cit. *c. Per venerabilem*. Et ita tenet Fachinaeus cit. l. 3. c. 57. Covar. de sponsal. p. 2. c. 8. §. 8. & alij.

1454. Quæstio est. 2. an consentientibus parentibus & illis, quorum interest, Princeps legitimare possit *alienum subditum* ad eorum bona, extra suum legitimantis territorium sita? R. probabilis esse, quod non colligitur ex *c. Per venerabilem*. h. t. ubi Pontifex legitimans filios Regis Francie, rationem reddit, quia Rex Francie nemini est subiectus, seu neminem in temporalibus superiorem recognoscit, & sine jure alterius læsione in eo se jurisdictioni Pontificie subicere potuit, & subjecit. Hinc merito Barbof. cit. cum alijs n. 10. resolvit, quod legitimatus à Principe non potest obtinere terras non subiectas legitimanti. Nam extra territorium nulla est jurisdictione per L. ult. ff. de Jurisdic. omnium Jud. Sic etiam Abbas in *c. Per venerabilem*. n. 23. & alij.

1455. Nec obstat, quod legitimatio sit actus voluntariæ jurisdictionis; ex hoc enim non sequitur, eam fieri posse coram, aut à quocunque Judice per ordinem ad res sibi non subiectas; neque consensus parentum, aut cognatorum, quorum interest, facit, quod non agatur contra jus domini, in cuius territorio bona sunt, ad quæ sine ipsius consensu, per alium legitimeretur; per illorum enim consensum, & subjectionem, huic sua jurisdictione non prorogatur; cum ad hoc requiratur, vel quod sit, qui superiorem non recognoscat, & sponte se in eo subiciat, ut constat ex n. priori, ibi: neminem ex temporalibus &c. vel verò is,

cujus jurisdictione prorogatur, sit sub eodem Principe, & agatur de bonis, quæ sunt in territorio Judicis prorogati. Neminem enim privatorum consensus Judicem facit. L. Privatorum. ff. de Jurisdic. omnium Judic.

Quando autem in *c. Per venerabilem* 1456. dicitur, quod Pontifex habeat casualiter Jurisdictionem in omnibus, ibidem additur ejus protestatio dicentis, se illa nolle uti cum alterius injuria, unde filios Regis Francie legitimavit, quia ille sine læsione juris alieni potuit se in temporalibus subicere Pontifici, ac in eo etiam se subjecit. Ex hoc sequitur legitimatum in uno loco, non eo ipso habendum ut legitimum in alio, & territorio, quoad successiones, & honores, extra territorium legitimantis, sequitur ex dictis à n. 1454.

Quæstio est. 3. an Princeps Laicus possit legitimare filium Clerici? R. posse, ut ei succedat in omnibus bonis purè temporalibus, seu patrimonialibus; quia nullum in hoc est impedimentum. Persona enim, quæ legitimatur, est Laica; bona etiam ponuntur merè temporalia, non Ecclesiastica; consensus à Patre dari potest, quin per hoc Principi proroget jurisdictionem in personam Ecclesiasticam, vel bona Ecclesiastica; & quamvis bona Clericorum etiam patrimonialia sint exempta, ne sint obnoxia collectis, seu tributis Laicorum, similibusque oneribus; ab hoc tamen, ut illorum dominus, quantumvis Ecclesiasticus, cogatur invitus habere successorem, seu heredem, exempta non sunt; Sic Fachinaeus cit. c. 59.

§. II.

Quæ potestas Legitimandi Principi Ecclesiastico conveniat?

Dupliciter fieri potest legitimatio, nempe restituendo natales, vel inducendo jura legitimorum, ut notavimus n. 1452. Restituere natales spurio non potest, nisi qui potest dispensare in radice matrimonij, nimirum in impedimento, propter quod vel tunc inter parentes matrimonium jure consistere non poterat, vel si contractum est, nulliter actum est. Inducere autem jus legitimorum potest Princeps, esto non possit dispensare in radice matrimonij.

Not. autem, legitimare in radice matrimonij, nihil aliud esse, quam dispensare

sare in impedimento, ut matrimonium, propter illud invalidè contractum; ab initio sustineatur. Ex quo vides, quod *radix* ista sit *matrimonium præcedens*, sed invalidum propter impedimentum dirimens, ex quo ejusmodi proles nata est. Ut autem hoc fieri possit, duo necessaria sunt. 1. quòd inter parentes, quorum spurius legitimandus est *in radice*, præcesserit matrimonium factò; deinde quòd ejus nullitas provenerit ex impedimento à tali Principe dispensabili.

1459. Ex hoc sequitur. 1. naturales tantum v. g. ex solutis, jure & factò, non posse legitimari etiam à Pontifice *in radice matrimonij*. Nam ubi nullum unquam matrimonium factò contractum est, non potest esse verum, quòd *nulliter* contractum sit cum impedimento dirimente, postea per dispensationem auferendo; quod enim non fuit, nec est, tolli non potest dispensatione.

Sequitur. 2. nec Papam posse quem legitimare *in radice matrimonij*, propter impedimentum irriti, nisi impedimentum sit dispensabile ab illo. Cum enim hæc legitimatio fiat, *dispensatione illud auferendo*, si indispensabile ab illo est, pariter ab illo inaufersibile est.

Sequitur. 3. spurios natos ex matrimonio nullo, *defectu consensûs*, vel propter aliud impedimentum *juris naturalis*, aut *divini etiam positivi*, non posse legitimari à Pontifice in radice matrimonij; quia sic impedimentum non est dispensabile ab illo.

1460. Sequitur. 4. hoc ipso, quòd Pontifex dispenset *in radice matrimonij*, tollendo impedimentum, quo stante contractus cæteroquin non valet, & illum convalidans usq; à principio, matrimonium illud reduci ad terminos juris naturæ, ut notat Vincentius de Justis l. 1. c. 7. n. 226. ubi impedimenta juris tantum humani, vim dirimendi non habent. Unde sic legitimati in radice matrimonij sunt verè geniti ex matrimonio statim in principio valido; cum, subsecutà tali dispensatione, impedimenta juris humani nequeant invalidationis effectum operari, utpote vim habentia solum, sub conditione, *nisi dispensatio sequatur*.

Ex hoc sequitur. 5. dispensatos, consequenter legitimatos in radice matrimonij, vi natalium esse legitimos, & habere

omnia jura legitimorum, non verò Principis favore, seu inductione, sed jure legitimis natalibus annexo; cum sint nati ex matrimonio jure naturæ valido, jure humano in tali casu nullam invalidationem inducere valente, sed suspensio, ut dictum est num. priori.

Sequitur. 6. prolem ex parentibus, Canonice tantum impeditis, natam post dispensationem in impedimento, subsecutò matrimonio, legitimam esse quoad omnia ex dict. supr. quia sic nata est tempore, quo inter parentes legitimum matrimonium consistere potuisset. Sic Peregrinus de *Pæci commiss.* art. 24.

Sequitur. 7. conceptos, & natos extra omne matrimonium tam juris, quam facti, non posse à Pontifice legitimari *restitutione natalium*, ut constat ex n. 1459. posse tamen *inducendo* jura legitimorum in omnes quoad spiritualia; quoad temporalia verò tantum sibi temporaliter subiectos. Ratio est ex n. 1454. Sic Covarr. 4. *decret. p. 2. c. 28. §. 8. n. 18.* Sanchez l. 8. *hic d. 7. n. 14. & alij.*

Dices: Rota Romana pluries amplexa fuit opinionem docentium, prolem ex incestu conceptam, & natam ante omnem Papæ dispensationem in impedimento, adhuc legitimari *in radice matrimonij*, consequenter *natalium restitutione*, si deinde, impetratà dispensatione, sequatur legitimum matrimonium, ut expresse docet Lotharius de *Re Benefic. l. 2. q. 28. n. 109.* Nam esto copula fuerit incestuosa in re, fieri tamen potuit affectu conjugali; ergo non fieret legitimatio, nullo omnino præcedente conjugio. Sed, quidquid sit de illis decisionibus Rotæ (quas esse *probabiliter tantum, nec esse jura, & ideo posse reprobari*, fatentur quatuor insignes Rotæ auditores apud Fagnanum in *c. Cum venissent de Jul. n. 31.*) &c. vel in re præcessit, vel non præcessit matrimonium saltem facti? Si primum; omnino concedo, posse talem prolem in radice matrimonij legitimari; si secundum; secus; ex n. 1454. nequit enim aliquis actus dispensatione secutà fieri validus, qui nunquam prius fuit. Ex eo, quòd copula fieri potuerit prævio matrimonio facti, non probatur factum esse. Nam *matrimonium in radice sanari, est contractum esse, sed nulliter, dispensatione nulli-*

litem tollente, seu nullitatis effectum impediens, ex n. 1458.

1462. Si quæras, 1. quando Pontifex dispensans in impedimento, quo stante matrimonium nulliter contractum est, censetur prolem ante susceptam legitimare in matrimonii radice? Resp. quod tunc, 1. si dicat, ut ex tunc, vel, ut per prius matrimonium, & proles suscepta, vel suscipienda, legitima habeatur. 2. quando tale matrimonium declarat legitimum, vel approbat ut legitimum. 3. quando dispensat, ut parentes possint in matrimonio sic nulliter contracto permanere (nam sic jam aufertur valoris objeem) vel mandat de novo matrimonium contrahere, modo sciat de prole prius suscepta ex tali matrimonio. Sic Vincent. de Just. lib. 1. de dispens. matrim. c. 7. à n. 248. hoc ipso enim, quod prolem susceptam, & suscipiendam, positam tali dispensatione, legitimam pronuntiat, censetur velle illam taliter legitimare, & matrimonium in principio convalidare.

Dixi: modo sciat de prole prius suscepta ex tali matrimonio. Nam si tantum dispenset in impedimento matrimonii, est dispensatio ad contrahendum; non autem ad matrimonium antè nulliter contractum, à principio revalidandum, restitutione natalium proli prius susceptæ; cum circa omnino ignorarum non sit consensus. Sanchez. lib. 8. bñc. d. 7. n. 18.

1443. Si quæras 2. an, dum Pontifex prolem aliquam legitimat, nullam factam mentione matrimonii, eam legitimet in radice matrimonii? Resp. negativè cum Sanchez. cit. n. 21. & Molina. de Primog. lib. 3. c. 2. à n. 10. Cum enim nulla matrimonii mentio facta ponatur, legitimatio talis censetur facta per rescriptum in ordine ad eam tantum, quæ Princeps in suo foro per ejusmodi legitimatorem inducere, seu conferre intendit; jura nimirum legitimorum ad spiritualia.

Si quæras 3. an proles, in vim literarum Sacræ Pœnitentiariæ, legitimata à Confessario, detecto impedimento, saltem pro foro conscientie legitima reputetur? Negativè respondet Sanchez. l. 8. bñc. d. 34. n. 47. quia vis earum literarum extendit sese tantum ad casum illegitimitatis occultæ.

Tom. IV.

Ad extremum not. forum conscientie aliud esse Sacramentale, aliud non Sacramentale. Sacramentale est, ubi iudicium, & cognitio causæ fit per confessarium in actu Sacramentalis confessionis; ubi autem fit extra Sacramentum pœnitentiæ per ordinarium, vel delegatum, est non Sacramentale; & hoc forum est quid medium inter forum internum, & externum, ut notat Sanchez. cit. n. 29. & Rodriq. qq. Regul. tom. 1. q. 61. a. 10. & alii. Unde, quando in literis, quibus alicui committitur dispensatio faciendâ in foro conscientie, non desideratur Sacramentalis confessio; seu, ut fiat in foro Sacramentali; sufficit fieri extra Sacramentaliter; aliud esset, si diceretur in foro pœnitentiæ; hoc enim appellat forum Sacramentale; ita illi, quamvis etiam forum pœnitentiæ alii distinguant, sicut forum conscientie.

ARTICULUS VI.

Quis sit Judex competens in causa natalium?

Supponendum, quod differant quæstio emergens & incidens. Emergens est, quæ extrinsecus accedit, & nihil habet commune cum negotio principali, tantumque processum respicit, ac tendit ad eum impediendum v. g. testem admittendum, vel repellendum. Incidens est, quæ respicit merita causæ, & habuit ortum ante litem contestatam, ut exceptio transactionis, pacti, compensationis &c. Sic Pereyra in appendice Elucidarii n. 1867.

Supponendum. 2. frequenter evenit, quod hæredi petenti hereditatem opponatur vitium natalium (nimirum, quod non gaudeat jure legitimorum) eod quod sit illegitimus, & naturalis tantum, vel etiam spurius; consequenter, petenti hereditatem moveatur incidenter quæstio, de justis, vel vitiis ejus natalibus, ut removeatur à jure successione, ut habetur in c. Lator. 5. h. b.

Supponendum. 3. quæstionem alicui de vitio, vel jure natalium ex multiplici titulo moveri posse. 1. ex quæstione juris de valore matrimonii, an inter parentes ejus fuerit legitimum matrimonium? 2. ex quæstione facti, an inter eos matrimonium sit contractum? et si nullum sit

Aaa

dubium